



Per.  
Lat  
020

**Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse**  
Laptulajdonos: Katolikus Középsikolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223-808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telefon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940—41: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postais in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

## 400 annos Sanctae Angelae, patronae nostrae mortuae

nuper celebravimus. In honorem Sanctae Angelae ludum scenicum edidimus.<sup>1</sup> Lumen<sup>2</sup> festi nostri fabula musica antiquissima fuit, quae inscribitur: «Mors triumphalis», a discipulabus gymnasii acta.<sup>1</sup> Fabula musica Romae tempore vexationis Christianorum agitur. Caesar decretum severum contra Christianos edidit. Livia, patricia nobilis, cum amicibus se abdidit iram imperatoris evitatura. Sed Caesar patrem senem Liviae comprehendi iussit. Livia, ut vitam eius liberaret, ad Caesarem iit. Deis paganis sacrificare nolentem filiam fidam imperator interfici iussit. Pater Liviae corde magnanimo filiae viso etiam ipse Christianus et martyr factus est. Mors Liviam cum patre coniunxit. Nec Livia amicas tristissimas reliquit, sed apprensens consolata est eas. Partes<sup>3</sup> fabulae musicae Gisela Germán (Livia), Elisebatha Szabó (Vesta), Anna Buczkó (Crescentia), Etelca Engelmayer (Sylvia), Juditha Bertalanffy (Julia) et aliae discipulae vestimentis Romanorum indutae egerunt. Ornationem<sup>4</sup> nos ipsae pinximus. Theresia Prós cantricibus clavicordio<sup>5</sup> canens<sup>5</sup> aderat.<sup>5</sup> Musica scenica animum tristem fabulae bene interpretabatur. Ad ludum scenicum parentes et amicos quoque invitaveramus. Beatissimae eramus, quod labor noster eventum bonum habuit. Nunc, cum ille dies pulcherri-

mus praeteriit, multa laboramus, ut exemplum Sanctae Angelae sequentes filiae bonae patriae Hungariae evadamus.

Eva Bányai disc. cl. VII. Angelani Bp.

<sup>1</sup> előad = aufführen = représenter    <sup>2</sup> fénypont = Glanzpunkt = le clou  
<sup>3</sup> szerep = Rolle = rôle    <sup>4</sup> vulgo : decorationes  
<sup>5</sup> zongorán kísér = auf dem Klavier begleiten = accompagner au piano



Livia apparet et consolatur amicas suas.

## LECTORIBUS MINIMIS

## Jocosa.

Loca discipulorum gymnasii Lucanensis.

1. Magister discipulos interrogat: «Quid mane, cum sol vultum vestrum luce suā illustrat, facitis?» — «Ego», Antonius statim respondet, «ex lecto prosilio». — «Bene! inquit magister. Deinde?» — «Valvas<sup>1</sup> claudio atque cubitum<sup>2</sup> redeo.»

2. «Certamen<sup>3</sup> singulare<sup>3</sup> inistine<sup>3</sup>?» Paulus amico suo dicit. Ille respondet: «Minime: tonsor<sup>4</sup> tristis singultans<sup>5</sup> barbam mihi rasit.»

Alfridus Zeier

3. **Fortuna industriosos adiuvat.** A: Me non pudet<sup>6</sup> confiteri hoc: cum Mediolanum<sup>7</sup> primum veni, exalceatus<sup>8</sup> eram. — B: Ego autem admodum nudus. — A: Verum dicis? — B: Verum. Mediolani enim natus sum.

4. **Velocissima navis.** A: Estne velox haec navis? — B: Velocissima est. Submergi enim potest tribus temporis<sup>9</sup> momentis.<sup>9</sup>

5. **Liberalissimus.** Vir: Mehercule, o structor<sup>10</sup>, paene later<sup>11</sup> decidens me tetigit. — Structor: Nihil est. Multos enim lateres habemus.

Maria Biscossa

6. **Copiaris:**<sup>12</sup> Hanc igitur salicem<sup>13</sup> demissam<sup>13</sup> prope sepulcrum mariti tui transponam.

*Vidua:* Potesne salicem singultantem<sup>5</sup> serere?

7. *In schola:* Magister aegre<sup>14</sup> discipulos multiplicationem docebat. Quare quendam ex iis rogat: — Agedum,<sup>15</sup> dic exemplum de multiplicatione.

*Discipulus:* Vinum merum; post sextum poculum duplum vident homines.

8. *Iudex:* «Captivis potestas<sup>16</sup> faciendae operae, quam antea exercuerat, datur.» His verbis auditus captivus custoditus laetitia alatus quam celerrime ianuam petit. Tunc index obstupefactus<sup>18</sup>: «Eheu, currite, custodes. Captivus aufugit.»

*Captivus:* «Ecquid? Cur inclamas, iudex? Puer<sup>19</sup> a pedibus<sup>19</sup> mercatoris eram.» *Rolanda Forni.*

9. *Vir:* Dicis tuberes,<sup>20</sup> quos caput tuum gerit, ex hereditate provenire. — *Amicus:* Uxor mea, scilicet, accepit a matre sua naturam iracundam hereditate. *Bernardus Baroth.*

10. Viator quidam, peregrinans, posuit tunicam in ramo arboris, sed timens furem, scripsit in scida:<sup>21</sup> «Variolis<sup>22</sup> laboro.» Cum rediit ad arborem, non invenit tunicam, sed scidam, in qua scriptum erat: — «Gratias ago tibi pro tunica: nam etiam ego variolis laboro.» *Francus Marazzi.*

<sup>1</sup> kétszárnyú ajtó = die Türflügel = porte à double battant. <sup>2</sup> aludni = schlafen = pour dormir <sup>3</sup> párbajozni = sich duellieren = se battre en duel <sup>4</sup> borbély = Barbier = coiffeur <sup>5</sup> zokog = schluchzen = sangloter <sup>6</sup> szégyel = sich schämen = avoir honte <sup>7</sup> Milano <sup>8</sup> cipő nélkül = ohne Schuhe = sans souliers <sup>9</sup> másodperc = Sekunde = seconde <sup>10</sup> kőműves = Maurer = maçon <sup>11</sup> téglá = Ziegel = brique <sup>12</sup> műkertész = Kunstgärtner = horticulteur <sup>13</sup> szomorúfűz = Trauerweide = saule pleureur <sup>14</sup> nehezen = mit vieler Mühe = péniblement <sup>15</sup> nos = nun = alors <sup>16</sup> engedély = Erlaubnis = permission <sup>17</sup> quali alas accepisset <sup>18</sup> elámulva = verblüfft = ahuri <sup>19</sup> kifutó legény = Laufbursch = trottin <sup>20</sup> daganat = nos = tumeur <sup>21</sup> cédula = Zettel = fiche <sup>22</sup> himlős vagyok = blatterig sein = varioleux

**De Francisco Móra.** Franciscus Móra, scriptor fabularum<sup>1</sup> Romanensium,<sup>1</sup> et rector musei Szegediniensis, etiam excavationibus<sup>2</sup> clarus erat, qui multis operibus<sup>3</sup> atque artificii<sup>3</sup> museum Szegediniense augebat. Sepulcrum ille Attilae invenire voluit, hanc ob causam ubique vestigia Hunnorum requirebat. Quod cum quidam cives academici audiverunt, illudere<sup>4</sup> ei constituerunt. Insculpsérunt nummo robiginoso<sup>5</sup> runis<sup>6</sup> Hunnorum «Attila», et dixerunt ei se nummum in humo invenisse. Mora magno cum gaudio spectabat nummum, sed laetitia cecidit legenti in altera parte: «Amato Francisco Móra dedicatur.»

Col. Csathó abiturienti Makonensis.

<sup>1</sup> regény = Roman = roman <sup>2</sup> ásátás = Ausgrabung = fouilles <sup>3</sup> műkincsek = Kunstschatze = monuments d'art <sup>4</sup> megréfal = Spott treiben = se faire un jeu de <sup>5</sup> rozsdás = rostig = couvert de rouille <sup>6</sup> rovásírás = Rune = runes

**Sol et luna.** Duo rustici, Stephanus et Carolus, ante meridiem cauponam<sup>1</sup> petierunt, unde ambo ebrii<sup>2</sup> et baculo innixi iam sero vespere domum redituri erant. Ex cauponā egrediens lunamque in caelo videns Stephanus dicit: «Videsne, compater<sup>3</sup>, non diu in caupona eramus, sol nondum occidit, uxor non irascetur». — «Cur, respondet Carolus, hoc dicis? In caelo iam luna splendet!» — St.: Illa non est luna, sed adhuc sol! — C.: Interrogemus aliquem! — St.: «Recte dicis». Venit<sup>5</sup> iis obviam<sup>5</sup> adulescens, quem quaesiverunt, utrum illud sidus in caelo luna, an sol esset. Iuvenis timens, ne ab alterutro verberaretur, si utricunque<sup>6</sup> assentaretur,<sup>7</sup> respondit: «Nescio, quia ego non huius<sup>8</sup> loci<sup>8</sup> sum». Rustici huc illic titubantes<sup>9</sup> ire pergebant. Occurrit iis quidam tertius rusticus valde ebrius. Nunc eum interrogaverunt. Ille caelum aspiciens: «Utrum, inquit, amici, putetis? Quia ego in caelo duo corpora caelestia maiora video.»

Iulius Vozáry de R. Budapestinensis.

<sup>1</sup> kocsmá = Wirtshaus = restaurant <sup>2</sup> pityókós = be-trunken = ényvré <sup>3</sup> koma = Gevatter = compère <sup>4</sup> még nem = noch nicht = pas encore <sup>5</sup> találkozik = begegnen = rencontrer <sup>6</sup> bármelyik a kettő közül = wer immer von den beiden = n'importe lequel des deux <sup>7</sup> igazat ad = Recht geben = donner raison <sup>8</sup> idevaló = hiesig = d'ici <sup>9</sup> támanyog = taumeln = tituber

## De vento et sole.

Fabulam Aesopi libere latine reddidit: *Emericus Szántó*, disc. Keszthelyensis.

Aliquando ventus solem aemulabatur,<sup>1</sup> uter esset maioribus<sup>2</sup> viribus.<sup>2</sup> «Ego te potentior sum!» — clamitabat ventus. «Quaestionem persolvemus!»<sup>3</sup> — arrisit leniter sol. Ventus autem se iactabat. Tum sol oculis in terram fixis: «Illic inquit, video pium peregrinatorem<sup>4</sup> appropinquare. Cogat eum alter nostrum paenulam<sup>5</sup> exuere. Quod si efficere poterit, apparebit, uter maioribus viribus sit». Ventus irato animo aggrediens peregrinatorem incipit fremere,<sup>6</sup> alta voce in aures eius clamare, vellere<sup>7</sup> vestem. Sed frustra, nam peregrinator

<sup>1</sup> verseng = wetteifern = rivaliser <sup>2</sup> erősebb = stärker = plus fort <sup>3</sup> eldönt = lösen = vider, trancher <sup>4</sup> zarándok = Pilger = pélerin <sup>5</sup> köpeny = Mantel = manteau <sup>6</sup> zúg = brausen = bruire <sup>7</sup> rángat = zupfen = tirer

paenulā accuratus se involvit. Nunc ordo<sup>8</sup> solem vocavit.<sup>9</sup> Ridens sparsit radios tepidos in terram. Primo iuvit senem calor. Aliquanto post paenulam resolvit, et mox sudans exiit viator. Quam pro culcita<sup>10</sup> capiti supposuit et recreaturus prostravit corpus in umbra arboris silvestris.

Consilio plus quam vi! Ira parum valet.

<sup>8</sup> sor kerül vkire = die Reihe kommt an jmd = son tour arrive <sup>9</sup> jól esett = gefallen = plaire <sup>10</sup> vánkos = Kissen = coussin

## Alexander Petöfi: Carmen gentile.

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

*Surge, clamat patria te!  
Tempus adest, o Hungare!  
Simus serv(i), an libertatis  
Participes, decernatis!  
Nos per Deum Hungarorum iuramus,  
Iuramus non servos fore amplius!*

*Nobis adhuc servis avi  
In servili terra sacri  
Quiescere nondum possunt,  
Quod liberi mortui sunt.  
Nos per Deum etc.*

*Ille homo nequissimus,  
Qui nunc mori non est promptus,  
Cuius vita est carior  
Vana, quam patriae honor.  
Nos per Deum etc.*

*Fulgentior vinco ensis  
Ac decorat dextram magis,  
Tamen vincla portabamus!  
Capiant nunc enses manus!  
Nos per Deum etc.*

*Hungrī nomen erit rursum,  
Uti quondam, gloriosum;  
Quis<sup>1</sup> turparunt id saecula,  
Abluimus dedecora!  
Nos per Deum etc.*

*Nepotes procumbent nostris  
Supplices in sepulchris  
Et agendo grates sancta  
Nomina praedicent nostra.  
Nos per Deum etc.*

<sup>1</sup> quibus

## LECTORIBUS MEDIIS

### Nuntii recentissimi.

**Nuntii Ecclesiastici.** Hisce diebus duo anniversarii a catholicis Budapestini celebrati sunt. Primum secundus annus expletus *Sancti Patris Pii XII*, qui a. 1939 Summus Pontifex creatus est. Deinde 400 anni *Societatis Jesu*, quae multos perclaros viros ecclesiasticos dedit cum orbi terrarum, tum etiam patriae nostrae. In imagine nostra Card. *Justinianus Serédi* princeps primas Hungariae post missam sollemnem ex aede cathedrali exiens benedictionem pontificalem multitudini dat.

**Hungaria** saepe demonstrat se in pace cum vicinis suis vivere velle. Paucis annis ante fratres nostri in Jugoslavia opprimebantur. Novissime autem, ex quo Hungaris in Jugoslavia viventibus linguā suā uti licet, patria nostra cum Jugoslavis amicitiam iunxit, quare nuper *Cintsar-Markovits* minister Jugoslaviae Budapestini maximā hospitalitate acceptus est. In imagine nostra hospitem perillustrem inter ruinas historicas urbis Albae Iuliae cum ministro nostro *Bálint Hóman* videmus, qui




Card. Serédi benedictionem dat populo.



B. Hóman minister monstrat ruinas effossas ministro Cintsar-Markovits.

ex *Bulgaria* rediens, ubi ab Universitate Scientiarum *Sophinae* doctor honores causā creatus ab hoc populo consanguineo praecipuo honore habitus



Monumentum pugnae ad Varnam in Bulgaria, ubi Vladislaus rex Hungariae a. 1444 a Turcis interfectus est.


erat, etiam in urbe Taurino<sup>1</sup> summā observantiā<sup>2</sup> cultus est.

**Nuntii Helvetici.** In Helvetia quotannis alius praeses creatur. Mense Decembri consiliarius<sup>3</sup> confederationis<sup>3</sup> *Ernestus Welter* praeses anni 1941 creatus est, cuius vicarius *Philippus Etter*, praeses anni 1940, factus est. Novus praeses nisi id sibi proposuit, ut Helvetia pericula horribilia belli etiam posthac evitare possit. Quo fit, ut fines ubique a militibus custodiantur, ne neutralitas reipublicae liberae laedatur.



Ernestus Welter praeses Helvetiae.

**Nuntii domestici IUVENTUTIS.** In certamine Graeco Societatis *Parthenon* ex 10 competitoribus praemium primum *Stephano Lunczer*, secundum *Nicolao Halmi*, tertium *Gabrieli Kereszthy* adiudicatum est. Tres victores omnes discipuli fuerunt collaboratoris nostri eminentis *Iulii Kováts dr.-is*, professoris gymnasii IPEA (Instituto Professoribus Erudiendi Adiuncti) Bp.-ensis, cui de gloria singulari imo ex corde gratulamur. — Liber memorialis 25 annos IUVENTUTIS tractans iam sub prelo missus est. Summarium libri iam publici iuris fieri potest: 1. Prooemium saluatorium ministri cultus et instructionis publicae Hung., *Bálint Hóman*. 2. Historia ephemeridis nostrae. 3. Quomodo res modernae purā latinitate reddenda sint. 4. De formulis epistolae Latinae modernae. 5. Quomodo aenigmata Latina componenda sint. 6. Bibliographia Neolatini qui dicitur motus. Pretium libri circa 1.50 P erit. Qui librum emere volunt, scribant ad *Alex. Regényi* administratorem nostrum. — Etiam fasciculus mensis Apr. IUVENTUTI celebrandae destinabitur.



Alfonso XIII rex Budapestini a. 1910.

**Nuntii bellici.** In Cyrenaica Germani Italis auxilium ferendo Anglos iam impediunt, quominus urbem Tripolim capiant. Post Rumeniam etiam Bulgariam Germani Bulgarorum permissu invaserunt, quo facto Graeci Thraciam relinquere dicuntur. Etiam in Graecia sunt milites Angli Graecos contra Germanorum invasionem defensuri. In America senatus consultum factum est, ut Anglis omnia quae necessaria esse viderentur subsidia mittentur.

**Alfonso XIII** rex Hispaniae, qui ante bellum civile populi sui ab adversariis regii imperii regnum relinquere coactus erat, Romae 55 annos natus mortuus est. In imagine nostra Alfonso a. 1910 Budapestini cum rege Francisco Josepho curru vehitur.

<sup>1</sup> Belgrad <sup>2</sup> tisztelet = Ehre = honneur <sup>3</sup> szövetségi tanácsos = Bundesrat = conseiller fédéral <sup>4</sup> pályázó = Mitbewerber = concurrent

## De Helvetiae neutrius partis studio.

Helvetia nullam cupiditatem territorii alieni habet, non alienum appetit, nihil sui territorii occupatum est, quod recipere patrium officium sit. Nullus pagus helveticus corde ultra suos fines est subiectus extraneo imperio. Helvetia parva, sed integra partem<sup>1</sup> suscepit historiā impositam et locum, ubi a Deo posita est in populorum societate, pulchrum esse putat, quo superba est; Helvetia



Fines Helvetiae custodiuntur.

nihil cupit, nisi esse et manere sicut ipsa est. Colonias et ostium ad mare non habuit; ergo non potest cogitare de longinqua diffusione?<sup>2</sup>

Magna eius potentia non est, non comparat periculum in Europae negotiis: neutrius est partis, non habet socios, nec quaerit, neque vult.

*Iohanna Jackson* disc. Lucanensis.

<sup>1</sup> szerep = Rolle = rôle <sup>2</sup> terjeszkedés = Ausbreitung = expansion

## Quomodo histriones<sup>1</sup> vivunt.

*Stephanus Balog*, (1787—1873), clarus actor et princeps<sup>2</sup> gregis<sup>2</sup> histrionum<sup>2</sup> aliquando cum sua caterva histrionum in dominium comitis Zichy pervenit, ubi cum<sup>3</sup> primum<sup>3</sup> fabula<sup>3</sup> daretur,<sup>3</sup> cavea<sup>4</sup> plane completa est.

Auctores spectaculum iam incipere volebant, cum carpentum<sup>5</sup> comitis advenit, ut ipse cum sua familia actioni interesset. At nulla sedes erat vacua. Director valde territus est, nam comes fautor benignus histrionum erat et semper magnanime solvit tesseras.<sup>6</sup> Balog, quia non potuit

<sup>1</sup> színész = Schauspieler = acteur <sup>2</sup> színigazgató = Schauspielerektor = directeur de théâtre <sup>3</sup> az első előadás = bei der ersten Vorstellung = à la première représentation <sup>4</sup> nézőtér = Zuschauerraum = parterre <sup>5</sup> hintó = herrschaftliche Kutsche = équipage <sup>6</sup> belépőjegy = Eintrittskarte = billet

aliud facere, tres spectatores in primo ordine sedentes oravit, ut sellas suas relinquerent. Patronus nobilis, postquam arcario<sup>7</sup> solvit florenos, occupavit locum vacuefactum.

Ludus bene processit, sed comitem post secundum actum taedium<sup>8</sup> dramatis saepe spectati cepit,<sup>8</sup> directorem igitur advocavit et iocose dixit ei: «Care domine Balog, spectatores hoc etiam alio tempore spectabunt, sed ego velim videre, quod agitis in scena post actionem. Id monstrate meā causā!»

Balog corpus inclinavit, dicens statim se facturos esse, quod vellet. Celeriter properabit in scenam, ut monstraret comiti vitam theatralem, qualis pone<sup>9</sup> parietes<sup>10</sup> scenicos<sup>10</sup> rēvērā esset. Auleum<sup>11</sup> sublatum est, in pulpito horribilis<sup>12</sup> perturbatio<sup>12</sup> ordinis: ornatūs<sup>13</sup>, vestes promiscue, quorum in medio sedet director, exadversus arcarius studiose numerantes pecuniam vespere acceptam. «Tu, Joannes — interrogat Balog — ubi est pecunia, quam Dominus comes pro introitu dedit?»

«En — respondit arcarius — 50 floreni.»  
«Mentiris! — inclamat director — Denegas dimidium; scio Dominum comitem bis tantum dedisse.»

«Sed is etiam sic persolvit nobiliter tesseras.»  
«Credat Judaeus<sup>14</sup> Apella!<sup>14</sup> Ab animo generoso Domini amplissimi non possumus sperare paucius, quam 100 florenos.»

Comes Zichy ridisset, nisi ceteri suo ipsius sumptu<sup>15</sup> ridissent. Ergo properavit corrigere errorem: «Alii hi 50 floreni non nisi forte manserant in sinu meo, ecce care Domine director!» At posthac non erat videndi cupidus, quid actores in scena finitā actione facerent.

*Steph. Bihari disc. Stephanei Bp.*

<sup>7</sup> pénztáros = Kassier = caissier <sup>8</sup> megúnta = es langweilte ihn = s'ennuyer <sup>9</sup> mögött = hinter = derrière  
<sup>10</sup> színpal = Kulisse = coulisse <sup>11</sup> függöny = Vorhang = rideau <sup>12</sup> rendetlenség = Unordnung = désordre <sup>13</sup> jelmez = Kostüm = costume <sup>14</sup> homo credulus apud Horatium <sup>15</sup> rovására = Kosten = au dépens

## Ad Sanctum Benedictum.

(Die 21 m. Martii.)

*Sancte, tuos inter nitidus, Benedicte, sodales,  
Nostra vide celso tristia fata polo.  
Cum nomades<sup>1</sup> populi repetita per arva vagantes  
Terrent orbis diriperentque caput,  
Italiamque gravi fera gens dicione teneret  
— Non recte dominā plebe colente Deum —:  
Romulidas miseros miro miseratus amore  
Orsus es optatae grande salutis iter.  
Primum tu monachos iusto sine more licentes  
Unā fecisti rite manere domo;  
Aris deinde rutis circa signisque deorum  
Contigit integram restituere fidem;  
Tum precibus<sup>2</sup> fratres et iniquo corda labore<sup>2</sup>  
Cetera per longas edomuere moras.<sup>3</sup>  
Nos quoque convertēre tui — pia turba — sodales  
Ad Christi Stephano dulce monente iugum.  
Tempora te vivo concordant turbida nostris:  
Funere feta ambo, tempus utrumque chaos.  
Tum cruce abegisti medicā letale venenum:  
Nunc mala praevalidā furta<sup>4</sup> relide manu.  
Pectora tum regis fregisti inflata superbi:  
Nunc age daemonici rumpe tumoris opus.*

*Regula turicremas satanae tua sustulit aras:  
Fac flagrent aerae cordis amore Dei.  
Discute vi magnā tenebrosae nubila mentis,  
Clarius ut cernat numina diva fides.*

*Val. Fehér O. S. B. — Pápa.*

<sup>1</sup> vándorló = Wander = nomade <sup>2</sup> dictum Ordinis S. Benedicti est: Ora et labora! <sup>3</sup> tempus <sup>4</sup> álnökság = Gaunerei = fausseté

## Sicut imperas, mi centurio fortissime!<sup>1</sup>

*Scripsit I. Pásztor. Latine: I. Guelmino Bpestinensis.*

Omnes, ore intento, audiebamus centurionem.  
— Illic tunc terebamus tempus in Russia, in paludibus Voliniae, luctantes<sup>2</sup> cum nebulis, luto<sup>3</sup> et tenebris. Russi tantopere infosserunt se, acsi e terra glutinosa<sup>4</sup> nunquam prorepere vellent. Etiam vitae taedebat<sup>5</sup> nos, cum quodam die a duce legionis epistolam accepi, quam (= ut eam) ad tribunum<sup>6</sup> militum,<sup>6</sup> nomine Korompay, qui ibi morabatur alicubi «propter»<sup>7</sup> nos, ultra flumen, perferri curarem. Sine mora autem, quia epistola magni momenti est. Statim igitur optionem<sup>8</sup> advocari iussi, hominem sollertissimum.<sup>9</sup>

— Homo quidam quaeritur, dixi illi, e gregariis<sup>10</sup> aptus, qui nuntium maximi momenti perferat ad dominum tribunum militum Korompay, cuius castra alicubi ultra flumen sunt posita. Quoniam nemo scit ubi, necesse est hominem sagacissimum<sup>11</sup> eligere, ut hac epistolā perlata, altera referatur ad duces. Nosti fortasse huius generis hominem?

— Novi, domine centurio, respondit optio oculis emicantibus. Zsengeri est ille. Petrus Zsengeri.

— Et speras fore, ut castra tribuni militum ab hoc inveniatur? Noli oblivisci: epistola maximi momenti est.

— Spero, domine centurio, respondit optio. Hic scilicet multas iam huius generis res perfecit. Habet caput, quale homines vastorum<sup>12</sup> agrorum<sup>12</sup>, bonum et clarum, in quo semper tunc temporis dilucescit,<sup>13</sup> quando luce opus est.

— Tunc statim ad me mitte istum, ordinavi. Edoceatur autem, qua de re agatur.

Et non multo post ante me stetit Zsengeri ille. «Scisne, quid sit perficiendum, interrogavi, et suscipis?»

— Scio et suscipio, mi centurio fortissime, respondit promptus<sup>14</sup> et ad galerum<sup>15</sup> levavit dextram.

Et ut ante me stetit in statu militari immobilis, non multum de se polliceri videbatur. «Cuius generis homo es tu, cuius artificii?»<sup>16</sup> interrogavi eum scrutans.<sup>17</sup>

— Pastor sum, mi centurio fortissime, respondit ille. Ante bellum exortum pecora pascabam, sed neque equos vel vaccas curandi rudis sum. Longe maxime autem vita pastoris placet mihi. Id vere cordi est mihi. Quoniam etiam nocte custodiendus

<sup>1</sup> parancsára, vitéz kapitány uram = zu Befehl, Herr Hauptmann = oui. mon capitaine <sup>2</sup> küzd = ringen = luter <sup>3</sup> sár = Kot = boue <sup>4</sup> ragadós = klebrig = poisseux <sup>5</sup> megún = überdrüssig sein = se dégoûter de <sup>6</sup> ezredes = Oberst = colonel <sup>7</sup> közelünkben = nahe = près de <sup>8</sup> őrmester = Feldwebel = sergent <sup>9</sup> ügyes = geschickt = habil <sup>10</sup> közkatoná = der gemeine Soldat = simple soldat <sup>11</sup> jószímatú = scharfsinnig = sagace <sup>12</sup> a puszta = die Heide = prairie <sup>13</sup> világos lesz = es wird hell = il se fait jour <sup>14</sup> készségesen = bereitwillig = avec empressement <sup>15</sup> sapka = Kappe = casquette <sup>16</sup> mesterség = Handwerk = profession <sup>17</sup> kutatóan = ausforschen = scruter

est grex. Etiam nocte, quando stellae paene terram attingunt et nemo est mecum, nisi canis<sup>18</sup> meus pecuarius...<sup>18</sup>

Sed reticuit, quamquam non interrupti sermone et persuasum mihi habui illum nusquam decipi viā. Cui scilicet regionem stellae monstrant, qui coelum consulit, non solet aberrare. — «Bene, dixi igitur ei, fido tibi. Ecce tibi epistola, quam perferes ad dominum tribunum militum Korompay, illic ultra. Scisne, ubi sit?

— Non, nescio, respondit.

— Neque ego scio. Ultra flumen esse scitur tantum, locus autem ille uliginosus<sup>19</sup> est et nequaquam certus esse potes, inciderisne in hostes. Et quomodo speculator ab hoste tractetur, bene scis, nonne?

— Ingredior viam, domine centurio, dixit Petrus Zsengeri et dextram ad galerum levavit.

— Deus tibi praesit in via, mi fili! — dixi et dextras iunximus.

Et abiit. Figura eius brevi evanuit<sup>21</sup> in nebula densa. Iam sub meridie erat, quando: «Nondum rediit Zsengeri?» interrogavi optionem.

— Non est res illa tam exigua,<sup>22</sup> dixit optio. Si ad vesperam redierit, contenti esse poterimus.

*Finis sequetur.*

<sup>18</sup> juhászkyta = Hirtenhund = chien de berger <sup>19</sup> ingoványos = sumpfig = marécageux <sup>20</sup> kém = Spion = espion <sup>21</sup> eltűnt = verschwinden = disparaître <sup>22</sup> csekély = gering = médiocre

## LECTORIBUS MAIORIBUS

### Vivum Latinum.

**Certamen poeticum Latinum**, cuius praemium a Theodorico Ruspantini fundatum est (L. 3250), Regia Universitas Studiorum urbis Romae die 30 m. Dec. a. 1940 propositum. Qui participes certaminis esse volunt, conditiones certaminis a moderatore *Iuventutis* accipere possunt.

**Musica Sacra Moderna! Venite Filii! Op. 21. Cationale latinum** pro choro vocum inaequalium aequaliumque, praecipue choris mixtis puerorum et adolescentium, a compositore ecclesiastico Hungarico P. Dr. *Stephano Kozáky* e Sch. P. doc. priv. Univ. Szegedin. et Prof. Gymn. Ordinis Scholarum Piarum in Hungaria. 155 melodiae et motettae propriae ipsius auctoris: hymni latini, antiphonae, sequentiae, canones «a capella» et organo comitante, de D. N. Jesu Christo, de B. Maria Virgine et de Sanctis, Cantica Calasanciana et concentus sacri «de Tempore». *Partitura* (240 paginae in 4<sup>o</sup>) quasi «Liber Usualis» in usum choros regentium et cantorum in Scholis Piis, seminariis, institutis, academiis, ubi Musica Sacra colitur. Haec editio typica etiam in usum singulorum cantorum in partes, respective in arcus divisa acquiri potest. (Enumerationem et descriptionem harum partium vide in fine partiturae.) *Jus publice decantandi* acquiritur emptione partiturae et 40 exemplarium ad usum singulorum cantorum. *Pretium partiturae* (libri non ligati): 20 Pengő Hung. *Pretium exemplarium in usum singulorum vocum chori* (in forma originali) pro pagina: 0-08 Pengő Hung. (8 fillér.) Non licet opus in usum singulorum cantorum describere aut multiplicare! Liber hic tantum ab editore ipso venditur: «Cantate» *Instit. Typogr. in Hungaria*. Budapest, VI., Vörösmarty-utca 75. III. 22. Tel.: 141-050.

## Librorum recensio.

**Magyar Horatius.** *Kerényi Károly* bevezetésével összeállította *Trencsényi-Waldapfel Imre*. II. bővített kiadás. Officina. Budapest, 1940. (Horatius Noster.) Pag. 198. Pretium P 5.80. — «Usque ego postera crescā laude recens, dum Capitolium scandet cum tacita virgine pontifex» vaticinatus es, sed superbam istam vaticinationem procul supergressa est tua laus, nam Capitolium iam non scandit cum tacita virgine pontifex, at te, Horati, nostris etiam temporibus recenti laude florere si apud alias nationes, certe apud nos Hungaros testis est hic, quem descripturus sum, liber, qui iure meritoque latine inscribitur Horatius noster. In nostra enim poesi Horatius imis radicibus depactus est. Iam inde a saeculo XVI usque ad nostram aetatem poëtae nostri atque ei summi et potissimi Horatii carminibus vertendis sese dicabant. Ex nostrorum poetarum translationibus Emericus Trencsényi-Waldapfel sollerti delectu florida sarta ac suave olentia nexuit. In longo poetarum ordine, qui se Horatii carminibus vertendis dederunt, sunt poesis nostrae etiam clarissima lumina, ex saeculo XVIII Csokonai, Rajnis, Révai, Orczy, Baróti, Szabó, Virágh, Kazinczy, ex saeculo XIX Vörösmarty, Arany, Szász, nostra aetate Babics, Laurentius Szabó, Sik, Kosztolányi, ex modernissimis nominandi sunt Devecseri, Radnóti, Vas et multi alii minorum gentium, qui ex hoc libro absunt. Ex Horatii carminibus, epodis carmine saeculari numero 121, hic 45 locum obtinent. Anthologiam hanc carminum Horatianorum Carolus Kerényi prooemio profundis et reconditis sententiis referto persecutus est, in quo sub novo et inusitato vel si vis antiquo id est Platonico aspectu, quem ideam Horatianam appellat, vitae et poesis Horatianae summam et indolem considerat. Quamquam Kerényiano iudicio nec probando nec refellendo hic locus est opportunus, tamen pro certo habeo legentes sententias Kerényianas ad subtilius ac sublimius cogitandum subactum iri. Epilogo E. Trencsényi-Waldapfel historiam Horatianorum carminum in Hungaricum conversorum docta disputantiuncula fontibus penitus exhaustis persecutus est.

**A görög bukolikusok költeményei.** Fordította *Vértesy Dezső*, magyarázta *Módi Mihály*. II. kötet. Budapest, 1940. Magyar Tud. Akadémia. (Graecorum bucolicorum volumen II.) Pag. 184. — In superiore numero (Jan.) nostrae ephemeridis Graecorum bucolicorum carminum priorem partem id est Theocriti carmina nota feceramus. In hoc volumine eiusdem operis partem alteram, qua Pseudo-theocritea, Moschi, Bionis carmina et aliquot carmina, quae vocantur figurata (Technopaignia) continentur, recensemus. Huius voluminis dispositio et dissignatio fere est eadem atque prioris partis. Atque eadem diligentissima cura est elaborata libri explanatio. Explanator autem Michael Módi hic quoque licet philologi religione et diligentia in explicandis carminibus sit versatus, commodis tamen hominum Graecae linguae et Graecarum litterarum rudium prospiciens, omnia quae scitu digna sunt attulit, minutissima vero, quae scire, nisi philologorum, neminis interest, recte libro procul arcuit. Inveniuntur inter Theocriti subditiva carmina quaedam festiva et digna, quae legantur ut: Heracles leontophonos, (p. 19), piscatores (p. 70), Moschi comploratio Bionis, Megara (p. 35), Amor fugitivus (p. 78) et omnium subditivorum carminum pulcherrimum: Europa (p. 143), praeterea Bionis Adonis et Achilles et Deidameia, eorundem fragmenta et technopaignia, id est carmina figurata, quorum versus ita ordinati et formati sunt, ut figura alicuius rei ut: securis, ovi, arae, fistulae figura efficiatur. Haec poetarum sollertia quidem, sed nimis futtilia commenta imprimis aetate Hellenistica in usu versabantur. Hoc volumen decem imaginibus est ornatum. Appendicis instar additae sunt commentationes, interpretationes et translationes Hungaricae Bucolica Graeca spectantes.

**Dr. Magyar László**: *Játszva latinul (Ludibundi Latine discimus)*. Budapest, 1941. A szerző kiadása. Pag. 110. Pretium P 2.50. — Si quaeras, cur operam in docenda lingua Latina tam laboriosam tam exigui consequantur eventus et successus, complures esse causas non negaverim, verum enim earum unam atque eam gravissimam esse aio, quod leges et praecepta grammaticae Latinae tamquam cantilena quaedam decantantur; quae autem nisi multum ex nostra lingua vertendo nec firmiter et stabiliter memoriae mandantur, nec ita mente percipiuntur, ut in lectione scriptorum Latinorum fidi duces esse possint. Sine enim certa legum grammaticarum scientia quam instabilis ac vaga est librorum Latinorum intelligentia! Harum difficultatum et incommodorum ratione habita Ladislaus Magyar dr. libellum composuit, quem ad leges grammaticas penitus percipiendas aliquantum adiumenti suppeditatum esse non sum nescius. In hoc libello praecepta grammatica quidem omittuntur atque discipuli ad grammaticas Jámbor-Kemenes et Esztergomy Gaál-Nagy delegantur, tamen exemplorum per praeceptorum grammaticorum solitum ordinem dispositorum uberrima discentibus suppetit copia. Exempla autem sunt brevia, concisa omnibusque supervacaneis accessionibus nudata, ut facile, sine mentis enixa contentione intelligi queant, quorum haud parva utilitas in eo consistit, quod magna pars ex nostrorum temporum cotidiana vita desumpta sunt. Mea enim sententia exempla ex nostrae aetatis consuetudine et institutis deprompta dici vix potest, quam facilem, vivacem reddant linguam Latinam docendi artem! Cum hic libellus multis atque insignibus excellat virtutibus, confido fore, ut brevi in omnia fere inducatur gymnasia.

Car. Ács Bp.

### Andreas Ady: *Adventus Dei!*

Soluta oratione Latine reddidit: *Gabriel Kardos* disc. Szegedinensis.

Cum relictus essem animum meum collapsum portans, me inexpectatum placide Deus amplexatus est. Non venierat cum clamoribus, sed muto veroque amplexu, non veniebat clara candidaque die, sed nocte stellarum plena. Oculi mei vani lumina amisere, flos aetatis meae deciderat, sed Eum candidum magnificentumque in perpetuum videbo.

## AENIGMATA

### Solutiones aenigmatum numeri V.

1. Roma, olim, mico, Amor. — 2. X. ex, lex, ilex, silex. — 3. Roma-Amor. — 4. Mus, ita, gaudet, iter, jugum: Gaudeamus igitur. — 5. Historia. Aquila. Nosce. Non. Iustitia. Bis Audiatur. Lupus: Hannibal. — 6. Arator, ramale, amicos, taceri, olorem, resima. — 7. Lohengrin, Eroica, Háry, arcus, Roma: Lehár. — 8. Amicus certus — sicut quondam tam sapienter dixit Ennius — in re incerta cernitur. — 9. Truditor dies die. — 10. Livius Andronicus.

**Aenigmata recte dissolverunt** in Hungaria 230 discipuli ex 40 gymnasiis et unus lector Italicus.

**Praemium sorte obvenit** Veronice Hoffmann (*Szilágyianum*), Aemiliae Bárány (*Angelanum*), Tiburtio Vénusz (*Scholae Piae*), Aemiliae Tolner (*Veresianum*), Ilcae Mosonyi (*Giselanum*), Ladislao Ferenczy (*Bólyaganum*), Georgio Wollitzer (*Berzsenyanum*), Francisco

Nagy (*Madáchianum*), Ottoni Csillag (*gymn. IPEA*), Agneti Kovács (*Sophianum*), Francisco Bánát (*Stephanum*), Budapestinensibus; Saroltae Huszár (*Csurgonensi*); Evae Bagdy Debrecinensi; Eugenio Farkas Dombovariensi; Iosepho Száva Agriensi; Ivanni Stréling Colocensi; Hippolyto Kis Makonensi; Sarae Ember Mezőturiensi; lectoribus cl. VI Papanis; Guilelmo Klinger Nyergesuffalvino; Hieronymo Balatniác Mohácsiensi; Francisco Várad Szegedinensi; Mariae Böhm Zalaegerszegiensi.

#### 1. Logogriphus.

Magis, magis, magis.

Andr. Koleszár (Sátoraljaújhely).

#### 2. Quadratum magicum.

|    | 1. | 2. | 3. | 4. |                              |
|----|----|----|----|----|------------------------------|
| 1. |    |    |    |    | A A E E Praepositio (=post). |
| 2. |    |    |    |    | L N N O Avis aquatica alba.  |
| 3. |    |    |    |    | O O O P Contrarium veteris.  |
| 4. |    |    |    |    | R R T N Forma verbi esse.    |

#### 3. Pyramis.

|           |                          |
|-----------|--------------------------|
| 1         | Consonans.               |
| 2 1       | Suffixum substantivorum. |
| 3 2 1     | Adverbium numerale.      |
| 4 3 2 1   | Contrarium albi.         |
| 5 4 3 2 1 | Alter parentum.          |

Classis II gymn. Levanae.

#### 4. Ex syllabis.

Don, Ot, Nor, men, da, zi, Lo, el, Ju, ma, i, Ri, heng, Sieg, fe, A, an, lo, Car, en, rin, Or, o, fried.

His syllabis recte compositis 9 dramata musica accipies, quorum 3 Richardus Wagner, 2 Josephus Verdi, singula autem Bellini, Bizet, Monteverdi et Mozart composuerunt.

Andreas Hetényi disc. Sümegiensis.

#### 5. Aenigma rotundum.



Si recte inveneris primam litteram, quaere circumiens tertiam quamque litteram, dum accipias patronum ardentem «Iuventutis» nuper mortuum (lux perpetua luceat ei!)

Philippus Merán  
disc. Piani Quinquecclesiensis.

6. Ad saltum equulei.

|      |     |      |      |     |     |     |
|------|-----|------|------|-----|-----|-----|
| men  | ma  | tes  | los  | re  | ri  | re  |
| pa   | bi  | to   | ne   | Tu  | pu  | im  |
| haec | me  | Ro   | ar   | pe  | ge  | o   |
| e    | ci  | ti   |      | po  |     | la  |
| mo   | po  | runt | bos. | bel | tis | re  |
| que  | per | re   | par  | sub | re  | de  |
| ne   | rem | im   | su   | et  | ce  | iec |

Si hoc aenigma recte solveris, accipies verba Anchisae ex Aeneide.

Geyza Katona  
disc. Schol. Piarum. Szegedinensis.

7. Crucigramma.

|   |   |   |    |   |   |
|---|---|---|----|---|---|
| 1 | 2 | 3 |    | 4 | 5 |
| 2 |   |   | 3  |   | 7 |
| 4 |   |   |    | 5 |   |
| 6 |   |   | 6  |   |   |
|   | 7 |   |    |   | 8 |
| 9 |   |   | 10 |   |   |

Ad libram: 1. Hic est super fluvium. 2. Ante hanc oras in templo. 3. Melodiam pronuntio. 4. Contrarium adverbii: saepe. 5. Pars corporis inferior est. 6. In caelo fulget. 7. Pars vultus est. 8. Pronomen determinativum est. 9. Populus Romanus duabus litteris notatus. 10. Est flumen in Asia.

Ad perpendicularum: 1. Contrarium totius. 2. Cicero quoque hic fuit. 3. Media pars est vultus. 4. Summus pontifex est. 5. Hos flores amamus. 6. Donum est solis. 7. Idem, atque: 8. ad libram.

Ilsa Mosonyi disc. Giselani Bp.

8. Logographus.

Una quidem sum vox, sed quam diversa mihi insunt!  
Namque aries in me, Caesar et ipse latet.

Fr. Palata Trebicensis (Moravia).

9. Ad lupo usque ad agnum.

|       |        |
|-------|--------|
| Lupus |        |
| _____ | _____  |
| _____ | _____  |
| _____ | _____  |
| _____ | Agnus. |

Frid. Kreiner disc. Magna-Canissanus.

10. Ex sententiis.

..... te ipsum.  
... multa laus, ibi multa fraus.  
.... parta, male dilabuntur.  
..... et audendo res Romana crevit.  
..... Deus non plenas adspicit manus.  
.... dant vitia.  
.... certa, hora mortis incerta.  
..... placuisse viris non ultima laus est.  
..... duos litigantes tertius gaudet.  
..... omnia vincit.  
... furor brevis est.  
.. salutas, ita salutaberis.  
.... cuique.

Expletis his sententiis, accipies nomen regis Romae antiquae.

Franciscus Lisca  
disc. gymn. Cisterciensum (Baja).


11. Numeris.

12, 6, 14, 1, 10, 8: Una ex Musis.  
13, 18, 11, 2, 9, 17, 20: In theatro auditur, si quid displicet spectatoribus.  
4, 5, 15, 16, 19, 7: Canis dentibus hoc facit.  
3, 12, 21, 6, 14: Animal aquaticum.  
1—21. Sententia ex quodam carmine Horatii.

Nicolaus Sugár disc. Novopestinensis.

Nota. Lectoribus minimis et mediis 1—6, maioribus 7—11. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner, Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.) mittant.

Terminus solutionum: Calendae Maiae.



Corrigenda numeri VI (Febr.): pag. 55 aenigma 3.: pro: «Consonans» lege: vocalis. — Eva Anicsek. Gratias Tibi pro gratulatione ago quam maximas. Dum IUVENTUS lectores letricesque habebit tam fideles, quam vos, sine dubio florebit. — G. Volonterio, Fr. Váradi, Fr. Szakács, A. Hetényi, Ph. Merán, A. Lajta, D. Bauer, S. Sarkantyú 29 aenigmata miserunt. — Alia opuscula accepimus ab E. Bányai, G. Volonterio, Col. Molnár, br. G. Orczy, Ph. Merán, Al. Weber, C. Ács, Fr. Kreiner, I. Németh, V. Fehér, I. Jób, L. Keleti, C. Wohl, G. Illés, H. Rácz. — L. Hantzmán. Quamquam quae de actis diurnis scripsisti, laudo, tamen rogo te, ut mihi opusculi tui versionem Hungaricam mittas, nam nonnulli loci sine explicatione intellegi non possunt. — C. Lackner. Scito me orationes politicas rarissime edere. Praeterea abl. substantivi «sermo» non «ermine», sed «sermone» dicitur. — Libri ab A. Kováts, M. Módi, P. Stuhlmann, G. I. Ferencz, G. Berardi missi recensebuntur. — M. Sandler, F. Gondán, Fr. Palata. Collegae carissimi, ad vos privatas literas dabo. = A. Horváth, De gladiatoribus a. 1940. Aemilius Láng, prof. vester perclarus scripsit, quare hoc anno opusculum tuum non potest edi. Mittam tibi aliam materiam.